

F.V. 110.

Z f
6200



PRORECTOR
ACADEMIAE VITENBERGENSIS,
GEORGIVS
BEYERVS,
I.V.D.PANDECT.P.P.CVRIAE PROVINCIALIS,
SCABINATVS EL. SAX. ET ORDINIS IVRID.
ASSESSOR, AC H.T. DECANVS,
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D.





Nunquam tacenda nobis est liberalitas togatorum olim principis, Reuerendisfimi, Illustrisfimi, atque Excellentisfimi Domini HERMANNI, antiquisfima gente prognati de WOLF-RAMBSDORF, Dynastae clientelarum: Mugelae, Saalkufii, Sittenae, Colmenae, Limpachii, Koesteritii, Grosagae, Hartmansdorfii, Durrenbergae ETC. ETC. Potentissimo Poloniarum Regi, et Sereniff. PR. Electori Saxoniae a Sanctoribus Consiliis, ac Summi Aulae Praefecti, censuumque Provincialium Moderatoris Primarii, Ecclesiae Martisburgensis Praepositi, herois omnium summarum uirtutum genere inclytisfimi, qui beneficium, nunquam satis laudandum, nostrate in Academia fundauit. Quod si aeterna commemoratione digni habentur ii, si qui uel semel benefaciant, hoc maiorem meritis laudem uidebitur HERMANNVS, qui non solum uiuus benigne fecerit; uerum etiam faciat postea, quam desiisse existimatur. Quem enim in literas nostras sumptum fecit liberalem, eundem, coelo receptus, facere pertendit, et, quoad futura esset Academia, fieri mandauit. Id enim uero argumento est, nunquam benefacere desituum fuisse, si nunquam decedere contigisset, quod non iisdem, quibus uita circumscripta fuit regionibus, suam liberalitatem terminarit.

Auge.

Augetur uirtutis admiratio, si, quam magnum fit, quam inusitatum, quam inauditum herois beneficium, cogitetur, quippe quod tantum est, ut, post diuina, et post magnorum principum munera, cum nullis fere aliis in comparisonem referendum uideatur. Cum multis rebus aliis, tum nulla re magis, quam benefaciendo, mortales ad Deum accedere dicuntur: nihilque diuinius beneficio, nihil DEI magis proprium habetur, cum neque bene uiuere, nec uiuere quidem, nisi DEI munere, ac beneficio concedatur. Vtroque nomine DEVM imitatus VVOLF-RAMBSDORFFIUS, cum, ut uiuerent, tum etiam, ut bene uiuerent cultores literarum, opis egentes, constituto conuictu gratuito, eodemque liberalissimo, curauit. Hinc enim fieri intelligitur, cum uitam ut sustineant ciues multi literati, tum, ut in quouis ordine studiorum ii euadant, quorum opera, meritisque res publica adiuuetur. HERMANNVS quidem pietatis suae in coelo amplissimum iam diu capit fructum, nostrasque nec requirit, nec sentit laudes: ueruntamen pietatis est non committere, ut inusitata summi Maecenatis erga rempubl. nostram literariam beneuolentia, et meritum singulare, sine praedicatione, et encomio ad posteros transmittatur. Laudandas ducimus summas uirtutes, si uel sola honestate, nec ullo commodo ad id praestandum inuitemur. Quo magis faciendum arbitramur, ut ea, celebretur liberalitas, unde luculentus ad nosmet ipsos perueniat fructus, curandumque, illius ut fama cum longe, lateque disseminetur, tum quoque cum omni posteritate adaequetur. Eius praesertim liberalitatis,

V
D
18

FK 246200 X3430681

tis, quae unius fere sit propria herois, et qualis uix ul-
li alii uindicari queat. Atque tam excellenti uirtute
fuit diuinus homo, VVOLFRAMBSDORFFIUS,
qui cum reliquas togati herois laudes cum aliis habue-
rit communes, solam summae, ac propemodum effu-
sae liberalitatis laudem habuisse propriam uidetur. In-
terest reip. literariae dignis eos ornari laudibus, eam
qui ornant, ac beneficiis afficiunt, quo omnes intelli-
gant, non conferri in immemores, si quid in homines,
literis excultos, conferatur. Ex eo igitur numero
cum maxime fuit HERMANNVS, qui ante octo
hosce annos conuictum in hac Academia gratuitum
constituit, magnamque fortunarum partem eam ad
re legauit. Cuius tanti beneficii memoria dum hoc
ipso die in panegyri patrum, hospitem, ciuiumque re-
nouabitur, ex alumnis VVolframsdorffianis surget or-
natissimus, humanissimusque Iuuenis, *Io. Gottliebivs*
Dedekindus, Offitio Misnicus, poeta insignis, et laurea
ornatus, multisque iam cum in hoc, tum in Iuris pru-
dentiae studio documentis, publice editis, probatus, et
literarum cultor indefessus, suo, et commilitonum be-
neficiarium nomine publicum pietatis specimen da-
turus, carmenque scitum, et elegans eius generis, quo
facta, laudesque heroum ornari solent, recitaturus,
quo et diuum Maecenatem condecoret, laudibusque
in coelum tollat, et etiam pro Illustrissimo herede, Do-
mino IO. GEORGIO, S.R.I. Comite, Paterni benefi-
cii Conseruatore benignissimo, proque uniuersa GEN-
TE VVOLFRAMBSDORFFIANA solennibus pa-
riter uerbis deprecetur. Ad quem audiendum ut
Generosissimi, nobilissimique Ciues ab hora III. finitis
rite sacris, in Auditorio Academiae maiori, libentes per-
inde, ut frequentes conueniant, DEVMque nobis-
cum simul orent, ut Illustrissimam GENTEM sar-
tam semper, rectamque seruet, uolumus uehementis-
sime, ac rogamus. P.P. Dominica IX TRINI-
TATIS, anno MDCCCIX.

VITEMBERGAE, LITERIS CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.

110

F.K. 110.

Z f
6200



RORECTOR
 MIAE VITEMBERGENSIS,
 ORGIUS
 BEYERVS,
 ECT.P.P.CVRIAE PROVINCIALIS,
 TVS EL. SAX. ET ORDINIS IVRID.
 SESSOR, AC H.T.DECANVS,
 BVS ACADEMICIS
 S. P. D.

